

L 14 Gefährliche Reise

Tempestas est et magnus imber¹ de caelo cadit.

Iam multas horas Quintus ventum, imbrem¹ strepitumque rotarum² audit.

Q: „Num procul sumus a Rosellis? Nox iam appropinquat.“

D: „Quid dixisti, Quinte? Non bene audivi.“

Q: „Noctem iam appropinquare dixi. Estne procul oppidum?“

D: „Quid te sollicitat, Quinte?

Iter non est longum, hospitium³ paratum, cena bona nos exspectat.“

Q: „Unde bonam cenam nos exspectare scis?“

D: „Nuntium ...“

Subito equi consistunt.

Domitius arbores et saxa in via iacere videt.

Modo e raeda⁴ descendit,

cum subito tempestas arborem frangit.

Equi calcitrant⁵ et raedam⁴ trahunt.

Domitius caput ad raedam⁴ offendit,

in viam cadit, sine mente iacet.

Quintus clamorem dat; servi accurrunt,

dominum tollunt, in raeda⁴ ponunt.

Raedarius⁴ autem solus equos vix tenet.

Quod periculum magnum esse sentit,

magna voce clamat: „Auxilium date!“

Servi equos tenere properant.

Quintus autem patrem curat.

Tandem Domitius oculos aperit.

Statim rogat: „Quid est? Cur me spectas?“ , et surgit.

Quintus gaudet, nam patrem bene valere apparet.

Mox iter vertunt et ad villam haud procul sitam properant.

Ibi dominus cunctis hospitium³ praebet.

1) **imber**, -bris m: Regen 2) **strepitus** (*Akk. strepitum*) **rotārum**: das Rattern der Räder 3) **hospitium**, -ī n: Unterkunft; gastliche Aufnahme 4) **raeda**, -ae f: Reisewagen/**raedārius**, -ī m: Kutscher 5) **calcitrāre**: ausschlagen